UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XV. Quæ obiiciuntur contra infallibilem firmitatem Papalem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

ret in re ad ſalutem neceſſaria: Ioan. 16. *Cùm venerit ille Sp. Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Luc. 22. *Rogaui, vt non deficiat fides tua.* 2. Quia in naturaliter neceſſariis nunquam deficit Deus: ergo minus in ſupernaturalibus. 3. Quia ſequeretur etiam errare Papam in fide poſſe. Fides enim docet omnem Virtutem.

QVÆSTIO XV.

Quæ obiiciuntur contra infallibilem firmitatem Papalem?

LVTHERANI, itemque CALVINIANI, cæterique certatim, iunctim, ac mixtim in vnam feruntur ac rabiunt Papæ infallibilitatem. Plauſtra iaciunt conuitiorum, calumniarum, & mendaciorum. Potiſſimum tamen, quibus pugnant, Ratio eſt, & Hiſtoria.

I. EX RATIONE. 1. Canones docent, Papam non poſſe iudicari, niſi à fide deuiet: ergo poteſt deuiare,

AT, ij loquuntur de errore perſonali; non de Iudiciali.

2. Si ſolius Papæ ſit iudicium infall. ergo nil opus Conciliis.

AT, Non debet Media negligere Papa ordinaria.

3. Cyprianus de Rebaptizandis hæreticis ſentit contra Papæ ſententiam.

AT, hæc ſolum fuit comminatoria, patet ex Aug. Vincentio. A peccato tamen ægrè excuſatur Sanctus Cyprianus.

4. Conc. Africanum dicit, Concilium prouinciale minus poſſe errare, quam Papam.

AT, in iudicio Facti particularis; non autem Fidei.

5. Nilus ait. Poteſt Papa labi in alia vitia: ergo & in hæreſin: vt qui, Tit. 1. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.*

AT, totum id ex natura, qua homo, poteſt Papa: ex gratia autem Aſſiſtentiæ S. Spiritus non poteſt in fide errare, etſi vitioſiſſimus foret.

II. EX HISTORIA congeruntur ab Lutheranis, & Caluin. &c. in Pontifices cumplures multa errata, peccata, &c. ſed mendacia; quæ videre eſt apud *Bellarmin. libr. 4. de Pontific. cap. 8. 9. &c. vſque ad 15.*

QVÆSTIO XVI.

Quis Summus & vltimus omnium in Eccleſia quæſtionum Iudex? An Scriptura?

LVTHERANI, CALVINIANIQVE, omnes Verbum Scriptum conclamant, penetrantque altius, ad vſque *Interni ſpiritus ſui cuiusq. Critirium:* quin in cœlum exponunt, ac Vltimum in terris Iudicem DEVM eſſe vociferantur. Vide in *Luthero-calviniſ. part. 1. quæſt. 2.* Quibus huc eorum adiunc firmamenta; Sed infirmata in Colloquio Ratisbonenſi, Anno M. DC. I.

I. OBIE. Id vnicum ſolum eſt norma Iudexque, quòd nec Additionem patitur, nec Detractionem (niſi à Deo) rerum pertinentium ad Religionem: Tale eſt Verbum Scriptum: Cui ſuperadditas Traditiones nullas habuere Iudæi.

RESP. Contrariam Scripturæ Traditionem nullam, concedo: at Conſentaneam; nego. Nam ad *Pentateuchum* additus eſt Ioſue, cæterique libri & Prophetæ de rebus religionis. *Præter quæ* Scripta habuerunt Traditiones: Vt remedium peccati originalis pro fœmineo ſexu, pro infantibus ante octauum præreptis circumciſioni; *Item libros*